

derat Brownii opus, ut de ea dubium esse nequit. Optarem quod videres Loeflingii opusculum, quod facile a Bibliopolis vestratibus obtineas; nec dubium sit quin Loeflingii species sit genuina species Bontiae, uti nec dubium quin Loeflingii et Brownii plantae sint eadem.

*Pavettae* istius Brownii, quae adeo refert Cofeam, si habeas semen, istud disseces horizontaliter, et videas numne hoc intus habeat 2 aut 4 loculamenta, ex quo de genere certius constabit.

*Cedrela* 2<sup>da</sup> Brownii, quam pro hac planta describis videtur mihi ex flore Trichiliae species esse, modo stamina 10, et fructus conveniat.

*Conocarpum* intelligere nequeo, nec capio tam diversam fructificationem in eodem genere.

*Surianum* amandabo ex Tua doctrina ad Decandras.

*Bombax pentandrum*. An huic folia digitata? an caulis aculeatus.

*Ellisiam* vidi, *Durantam* vero non. Si germen inferum in *Duranta* utpote genus distinctum erit ab *Ellisia*; esse vero germen inferum in *Duranta* et dicit et delineat Plumier. Non novi verum genus (exceptis *Saxifragis*) ubi aliae species germine infero, aliae supero. Certe si viderem calycem *Durantae* primo intuitu dicerem num esset congener *Ellisiae*. Si semina cartilaginea in *Ellisia*, in *Duranta* ossea, et haec indicent diversum genus

*Stizolobium* vidi siccum, mihi videtur Dolichi generis una cum altera ex India orientali proveniente Legumine.

*Agaven soboliferam* utinam mihi vivam data occasione comparare posses; soboles enim dat numerosissimas.

*Cassytha* Tua et mea procul dubio eadem est.

Compares Tibi quaeso per Bibliopolas Osbeckii iter, una cum Loeflingii impressum in eodem loco cum meo systemate, est uterque parvus libellus, uterque botanica latine sistit.

*Asclepiades* esse decandras propediem videbo.